



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi  
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor  
Angelicus cum Melliflvo,)**

**Schweitzer, Johannes**


**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.**

Dubium secundum. An detur peccatum originale, & ejus existentia ab  
Augustino efficaciter probetur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39320**

tali, nego; acceptam pro notitia naturali, concedo consequentiam:

Objicies sextò, Homines in statu naturæ lapſe non amittunt fidem, et si gravissima committant peccata; ergo nec primi homines amiserunt fidem. Respondeo negando consequentiam. qui enim in hoc statu post gravissima peccata non amittunt fidem, tribuere debent misericordiæ Dei, apud quem, ut Augustinus ait l. 3. de lib. arb. c. 18. *Iustum est, ut qui sciens recta, non facit, amittat ipsam rei scientiam.* Adde: Deum etiam in hoc statu permittere plurimos labi in peccatum infidelitatis, ob præcedentia peccata.



## DVBIVM SECVNDVM.

*An detur peccatum originale, & ejus existentia ab Augustino efficaciter probetur?*

**A** Deo necessaria est peccati originalis notitia, ait S.P. Augustinus lib. 5. contra Julian. c. 2. *Vt, qui illud negare, ipsa fidei fundamenta nitantur subvertere.* Negavit attem olim peccatum originale Pelagius cum suis pestiferis discipulis Cœlestio & Juliano (quorum Magister fuit Origenes, & post illum Rufinus Monachus Aquilejensis, Origenis discipulus, ut in historia

B

Pela-

Pelagiana ostendit Pater de Noris, & Natalis Alexander in Hist. Eccl.) qui voluerunt primum hominem sibi soli per peccatum nocuisse, excepto hoc, quod per illud posteris suis malum exemplum dederit, & occasionem illud imitandi. Unde dicebant, posteros primi hominis nasci in illo statu, in quo Adam fuit ante peccatum, ut ex pluribus Augustini libris constat, fuitque hic error ab Augustino magno labore & diligentia per multos annos examinatus & refutatus: Et hinc optimè S. Doctor meritus fuit de fide christiana, cuius fundamentum dicti haeretici evertere conabantur, per negationem peccati originalis. *In causa, inquit S. Pater lib. 2. de grat. contra Pelag. c. 24,* duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alium redempti à peccatis, propriè fides christiana consistit. Hæc haeresis fuit radix & origo plurimorum errorum, usque ad hæc tempora nostra in variis haereticis, quorum aliqui cum Pelagio universaliter peccatum originale negant; aliqui tantum volunt illud contrahi à filiis infidelium. Hæc examinabitur, quid senserit Augustinus, id est, quomodo existentiam peccati originalis probaverit?

Respondeo & dico: quod detur peccatum originale, id est, peccatum verum ac propriè acceptum, à primo homine in posteros derivatum, ab Augustino efficaciter probatur. Hæc doctrina tam apertè revelata est in S. Scriptura secundum August. l. 3. de peccat. merit. cap. 4. *Vt, etiamsi solvi adversariorum argumenta non possent, nihilominus ei firmissime inhærendum sit.* Loca verò Scripturæ, quibus utitur S. Pater, ad probandum,